

ab se designati auspiciis, qui imperatori totius exercitus pareret; in Italiam mittere teneretur: ipse vero Vaudemontius Reipublicæ tantum ex gente patricia legato obtemperaret: duodecim aureo-um millium pensio attributa. Adversus quoscumque, licet su-prema dignitate insigniti essent, arma pro Republica susciperet; per septennium Reipublicæ operam præstaret; duo postremi ta-men in Senatus voluntate essent; mensis spatio ea omnia a fra-tre Bärensi Duce, Upontiique Marchione, uti a Carolo patre factum fuerat, confirmarentur. Vaudemontio in reipublicæ mili-tiam cooptato, Senatus prudentia a cunctis sublata laudibus, quod constantem in Reipublicæ dignitate ac libertate tuenda se patefecisset; quod neque sumptui neque labori parcendo, acci-tis undequaque copiis, pristinumque Italici nominis splen-dorem, reliquis veluti veterno correptis, mordicus retineret.

At eo non contenti Patres, adjungere sibi Rhætos statuunt, ut e finitima regione, nullo impedimento, per Volturenam vallem in Bergomates copiæ traduceretur. Quamvis enim ob amicitias ac clientelas, quas iis in locis haberet, nunquam interclusum in Venetos fines aditum iri, Vaudemontius sibi polliceretur; attamen majori vinculo gentem adstringere, ac de foedere, uti alias actum fuerat, agi satius arbitrabantur. Itaque, uno Antonio Caballio, consilii Sapiente, dissentiente, reliqui præconsultores, ut, de fæciendo cum Rhætis foede-re Senatus consultum fiat, proponunt. Re in utramque par-tem solerter expensa, de foedere cum Rhætis agendum, tri-bus tantummodo adversis suffragiis (quod perraro contingere solet) Senatus censuit. In Rhætos Alexander Aleardus, Bergomas eques, missus, cui multæ iis in locis clientelæ atque amicitiæ erant, ut, primorum conciliatis animis, ad ample-xandum cum Republica fœdus suaderet. Ad Hieronymum Cornelium, Bergomi prætorem, datae literæ, ut civium Bergo-matum cum ea gente affinitatibus, eorumque, qui inter Rhætos in nomen Venetum propensi erant, amicitiis negotium ju-varet. Res initio feliciter adeo processerat, ut facile confici posse videretur. Verum a malevolis, Reipublicæque infensis hominibus detecta, vario officiorum genere certatum; ex quo primus ille plebis fervor ita elanguit, ut tandem re infecta Aleardus Bergomum rediret. Haud absimili eventu apud